



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

23. De Deo Adiutore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

nionem. Psal. 118. *Suscipe me secundum eloquium tuum & vitam, & non confundas me ab expectatione mea.*

### CONSIDERATIO XXIII.

#### *De Deo Adiutore.*

**A**diutor dicitur; i. generaliter respectu omnium: quia omnis potentia aliquo modo operatiua, & omnis vis creata, ita ab illo assidue dependet, ut nulla possit operari, aut in aliquem actum exire absque illius concursu, cooperatione, & adiutorio: quod adiutorium ipsi facile est omnibus præbere, cum ipse rebus omnibus intimè sit præsens, & actu semper naturam, esse, & vires influat in res omnes.

Secundò, peculiariter dicitur *Adiutor noster*, idque speciatim.

1. Quia sine eius singulari adiutorio nemo potest à statu peccati & dam-

& damnationis resurgere, & ad statum filiorum Dei assurgere.

2. Nemo potest hostium suorum infidias euadere, & eorum tentationes superare.

3. Nemo bonum, quod ad vitam æternam sit utile, operari.

4. Nemo in bono vsque ad finem perseuerare. In his omnibus eius singulari adiutorio opus est.

Terriò, etiam Beatis adiutor est; quia in statu beatitudinis, nemo potest ipsum videre, & beatifico amore ipsum amare, nemo ipsius immensam dulcedinem gustare, hoc est, ipso frui, sine peculiari adiutorio, quod per lumen gloriæ, & charitatis donum præstatur.